

/ Illustrissime ac Reverendissime Cardinalis Domine ac
Patrone Clementissime.

Literas humanissimas Illustriss. Celsitudinis ^{v^{ae}} benevolen-
tissimi in me animi plenissimas, quibus etiam Praescriptionum mea-
⁵rum, ac priorum ex urbe ad Reverend^{am} Celsitudinem ^{v^{am}} literarum,
quae aliquandiu cum Ulysse per varia littora oberrantes, tandem ta-
men quasi auspicato sidere domum appulerunt, fortuna exponebatur,
recte domi meae in Germania, quanquam sero, accepi, ac gratulans
miransque perlegi. Dubito autem ipse, quod fatum casum tam mirabi-
¹⁰lem rexerit, ita ut ne ipse quidem Episcopus recordatus sit, à quo
librum deportandum acceperat. Suspicio fuisse eum, cuius via in ma-
ri, et semita in aquis multis, cuius vestigia non cognoscuntur: qui
deduxit sicut oves populum suum, in manu Moysi et Aaron. Psalm.76.
Quicquid sit, gratiae Domino, qui filium mortuum reviviscere, et
¹⁵ perditum reperiri voluit: quemadmodum amantissime Celsitudo ^{v^a} mihi
tanquam fatens istius patri gratulatur.

De meo in Germaniam reditu sciat Illustris. Dominatio ^{V^a}, me
ad 18 Septemb. Roma egressum, felicissimo et auspicatissimo itinere
14 Novemb., Deo duce, domum appulisse; firmamque nunc (si firma se-
²⁰des in his terris esse potest, ubi Apostolo teste, manentem locum
non habemus) sedem Moguntiae sub Illustrissimo et Reverendissimo
Archiepiscopo et Electore Moguntino fixisse. Qui princeps pro sua
egregia in rem Catholicam voluntate, ^{S^{mi} Dⁿⁱ} Nostri, diversorumque
Cardinalium commendationibus accendentibus, me hactenus exulem in
²⁵ numerum Consiliariorum suorum, ac spiritualis Consistorii Assesso-
rum adoptavit. Verùm quo perpetua atque immortalis huius itineris
Romani memoria mihi meisque insideret, praeter varia et amplissima
mihi in urbe orbis Domina ab omnibus certatim exhibita beneficia,
Illustriss. Card. Baronius, hospes noster ac Mecenas longè benefi-
³⁰ centissimus, quo die me fratremque meum, novum Ecclesiae proselytum,

/ Pontifex Opt. Max. pro divina sua atque incredibili in immerentes
 benevolentia ad Lateranum, sacri Chrismatis unctione, tanquam per-
 fecti christiani signaculo, ut Urbanus Papa statuit, quin et Vene-
 rabilis Sacramenti alimonia, propriis manibus afficere dignatus est,
 5 quo omnia in me veterum errorum vestigia penitus delerentur, ex punc-
 to odioso Calvini cognomine, sua de auspicatissima familia Iustum
 Baronium dixit, nuncupavit, ac deinceps dici nuncuparique voluit. No
 Non secus ac ipse (Card. Baronius) in Annalibus, paulo aliter ab Hie-
 ronymi sententia, Sergium Paulum Proconsulem, hospitem suum, et quod
 10 in me secus habet, pietatis praeceptorem Saulum, amicitiae gratitudi-
 nisque causa, familiae suae cognomento nobilitasse censem. De aliis
 istius itineris mei fructibus excellentissimis dicere supersedeo. U-
 num est, quod hoc tempore ab Illustrissima Celsitudine ^{V^a} contendere
 pietas et amor honesti viri D. Iohannis Albini Typographi Mogunti-
 15 nensis, iubet. Intellexit is, nescio unde, Illustriss. Celsitudinem
^{V^{am}} commentarium in Psalmos hactenus elaboratum, propediem in lucem
 edituram. Quam Commentarium cum Germanis nostris, iam nominis vestri
 celeberrimi fama repletis, utilissimum acceptissimumque fore speret,
 rogat humilime, nisi iam aliud fortè statutum sit, suae id opus of-
 20 ficinae excudendum committi; promittitque fore, ut quanto potest ma-
 xima diligentia elegantiaque et characteris et chartae adhibeatur,
 praeterea in caeteris voluntati authoris abundantissime satisfiat.
 Quam eius petitionem, si fas est, vel meo nomine apud Illustriss.
 Celsitudinem ^{V^{am}} locum invenire, plurimum obtestor. Meruit id istius
 25 viri passim probata industria, et erga me superior exilio, pietas
 charitasque seria, cui omnim modo respondere, me iure obligatum exis-
 timo. Vale Illustriss. Mecenas, meque loco quo habes, constanter ha-
 bere perge. Mogunt. 5. April. A^o 1603.

Illustriss. ac Reverendissimae Celsitudinis ^{V^{ae}}

30 Humilimus servus

Iustus Baronius, S. Theol. et J.U. D.

Consistorii Mogunt. Assessor.

[Florence, Archiv.di Stato. MSS.Cervini, 54, f.93. Autogr.]